

6. Secunda sessione, post solemnem Missam & sermonem, consuetaque preces, lectum est de suggestu decretum de modo vivendi ab omnibus & singulis Concilii Patribus, quandiu ipsum duraret, observando, quotidiana scilicet Missae auditione, sacramentorum frequentia, Missa ab iis qui Presbyterii consecratione insigniti essent, quolibet saltem die Dominico celebranda, de junii singulis sextis feriis observatione, elemosynarum erogatione: de quotidianis precibus ad Deum dirigendis, pro pace Principum & Ecclesiae unitate, de praestandis frugalibus vitae, in verbis & omni actu & modestia morum, laudabilibus exemplis, & ut in refectionibus suis Scripturarum lectionem admiscerent. Praetereaque ut in ipsa Synodo ac sententiis dicendis nemo immodestis vocibus peristeret, aut vanis & obstinatis disceptationibus contenderet, sed singuli modeste atque pacifice sua sentia proferrent. Cautum denique fuit, si forte contingeret aliquos debito loco non federe, aut sententiam non suo ordine dicere, nulli propterea praedictum inde nasci, aut novum jus acquiri.

7. Quae sequente sunt Sessiones, quotidianis adventantium Praelatorum accessione augebantur. Sessione III, juxta veterum Conciliorum ritum propositum fuit fidei Symbolum, quale in Missis concini solet. Sessione IV. editum fuit decretum de canonicis Scripturis, quarum est attentus index utriusque Testamenti; prolatum anathema fuit in eos, qui aut aliquem ex his libris, aut eorum aliquam partem de sacro canone demerent. Definitumque est sacras traditiones, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, continua successione ab Ecclesia receptas, tanquam a Spiritu sancto inspiratas, pari cultu cum Scripturis divinis esse observandas atque teneandas, sub eadem anathematis poena. Versioni autem vulgatae Latinae auctoritas est conciliata; quam nemini liceat infringere. Scripturarumque sensum & intelligentiam ab ipsarum Ecclesiae sanctisque Ecclesiae Patribus esse sumendam; attestante Apostolo Petro 2. epist. cap. 1. Quod omnis prophetia scripturae, propria interpretatione non fit. Qui idem cap. 3. asseverat in epistolis Pauli esse quadam difficultate intellectus, qua indocti & infidèles depravant, sicut & ceteras scripturas ad suam perditionem. Cum igitur triplex sit circa divinas Scripturas error: Primus quidem excludendum a sacro canone libros quosdam. Secundus vero eorum, qui librorum etiam, quos ipsimet recipiunt, partes aliquot tamen ut spurias & additias rejiciunt: cui duplici medetur erroris index & canon sacrorum voluminum, una cum partibus quibusdam, quae tamen in Hebraeis voluminibus, qualia nunc supersunt, non reperiuntur, habentur nihilominus Graece in translatione Theodotionis, & Latinae in vulgata editione. Tertio demum erroris, quo falsus & commentitius verbo Dei scripto sensus affigitur, efficax antidotum adhibetur adversus omnes haereses, quibus istud commune est, ut per adulterinas expositiones sacris abutantur Scripturis, isto Concilii decreto: Praeterea ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo sua prudentia innoxius, in rebus fidei & morum ad adificationem Doctrinae Christianae pertinentium sacram Scripturarum ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenet & tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu & interpretatione scripturarum sanctarum; aut etiam contra unanimem consensum Patrum Scripturam interpretari audeat. Huc spectat saluberrimum divi Augustini monitum contra epistolam fundamenti Manichaei cap. 5. Si ad Evangelium te tenes, ego ad eos me teneam quibus praecipitibus Evangelio credidi; & his jubentibus tibi omnino non credam. Dixerat paulo superius: Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesia commoveret auctoritas. Quibus illud plane concluditur, ex eadem Ecclesiae auctoritate hauriendam esse Scripturarum intelligentiam & sensum, ex qua ipsas accepimus Scripturas.

8. Sessione V. cap. 1. de reformatione statuitur, ut Episcopi alique Pastores animarum sacram Scripturam per seipsos in suis Ecclesiis interpretentur ac exponant, si fuerint idonei: sin minus, per idoneum substitutum cum debitis stipendiis provisum ac praebendum. In Ecclesiis autem tenuis praeventibus, provideatur, saltem ex consilio Episcopi, & Capituli, magister, qui pauperes, & quoscunque Clericos illitteratos gratis Grammaticam doceat. In monasteriis quoque, in quibus commode fieri queat, lectio habeatur sacrae Scripturae. Qua in re si Abbates negligentes fuerint, illos opportunis remediis compellant Episcopi tanquam Apostolicae Sedis delegati.

Idem jus circa praepreatorias praebendas constituerat pridem Lateranense sub Alexandro III. Concilium can. 18. De Theologo autem qui sacras litteras exponat, posterior alterum Lateranense sub Innocentio III. can. II. Eodem spectant Gallicani Caroli IX. Edicta in comitiis Au-

reliaensibus cap. 1. art. 8. & 9. Itemque Henrici III. in Blesensibus regni comitiis, art. 33.

9. Eadem sessio. 5. c. 2. decernitur, Verbi Dei praedicationem esse praecipuum Episcoporum munus. Sanctus Gregorius Nazianzenus hoc ipsum confirmat dicens serm. 1. αὐτῶν τῶ λόγῳ διαγοῦν λέγει πρῶτον εἶναι τῶν κηρύττων. Ipsam verbi distributionem assero primum esse nostrum officium. Ibidem sic prosequitur Tridentinum decretum: Archiepiscopi, Plebani quoque, & quicumque Parochiales, vel alias curam animarum habentes Ecclesias, per se vel per alios homines idoneos si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, & festis solemnibus, Plebes sibi commissas pro sua & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum brevitate, & facilitate sermonis vitia quae eos declinare, & virtutes quas sectari oporteat, ut poenam aeternam evadere, & gloriam aeternam consequi valeant. Adidde subinde: Si ab Episcopo praemoniti hanc nihilominus functionem abjecerint, posse Episcopum ex beneficii parochialibus fructibus, alteri qui munus hoc praestet, honesta stipendia assignare.

Ibidem pariter sancit: Regulares in Ecclesiis, quo Ordinis sui non sunt, non posse sine Ordinariorum licentia praedicare. Si vero contingeret, saeculares, aut regulares, disseminare errores, aut scandala in populum, etiam in Ecclesiis suis vel aliorum Ordinum praedicarent, debere illis omnibus praedicatione per Episcopum interdicti. Quod si quantumlibet exemptus hereses praedicaverit, debere Episcopum tanquam Sedis Apostolicae delegatum adversus eum secundum juris dispositionem procedere.

10. Sessionem istam V. auspiciati sunt Patres quinque decretis fidei, de peccato originali, cum totidem anathematismis. Ad quorum fidem declarant: Non esse sua intentionis comprehendere in hoc decreto de propagatione originalis peccati beatam & immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem: sed observandas esse Constitutiones felicis recollectionis Xysti Pape IV. sub poenis in eis constitutionibus contentis, quas innovat.

11. His omnibus praectis, lecta sunt litterae Francisci Regis Christianissimi, quibus Petrum Danesium Vaurensem Episcopum suum ad Concilium oratorem constituebatur. Fuerat hic primus in Academia Parisiensi linguae Graecae professor, deinde Delphinus Franciae praepreceptor, cujus extat oratio copiosa & facunda in quinta ista Sessione pronunciata in laudem regni Galliarum, ejusque Regum, atque Ecclesiae, commemorans continuam ac perpetuo vigentem Catholicam Regum fidem, & quantam pro illius propagatione, pro Romanorum Pontificum protectione, atque in suam Sedem restitutione, & Ecclesiae Romanae locupletatione atque amplificatione praestiterint: & quanto studio Franciscus Rex laboraverit in conservanda illibata Catholica fide, in insectandis haereticis, & promovendo sacro Concilio, cujus decretis sua ope ac patrocinio adfuturus esset. Ceterum de hoc Danesio narrat Genebrardus in ejus a se pronuntiata funebri oratione: cum post haec in eodem Concilio quidam ex Doctoribus Gallicanis, qui aderant, declamaret contra rerum beneficialium abusus, tunc in Romana Curia vigentes, aliique Curiae illius Officialis, cui sermo displicebat, assidentibus dixisset: Gallice cantare, respondisse confestim Danesium: Utinam isto Gallieno Petro ad respiciendum & fectum excitetur!

12. Sessio VI. Decretum de justificatione ab ipso lumine continet, sic definiens c. 3. Et si Christus pro omnibus mortuus est, non omnes tamen beneficium mortis ejus recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur. Nam sicut revera homines, nisi ex semine Ade propagati nascerentur, non nascerentur iniusti, cum ea propagatione per ipsum dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant: ita, nisi in Christo renascerentur, nunquam justificarentur, cum ea renascencia per meritum passionis ejus, gratia, qua iusti fiunt, illis tribuatur. Quemadmodum vero adulti per gratiam Salvatoris justificentur, ita docet cap. 5. Declarat praeterea ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Jesum Christum praeveniens gratia sumendum esse. Hoc est ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, ut qui per peccata averse erant a Deo, per ejus excitationem atque adjuvantem gratiam, ad convertendum se, ad suam ipsorum justificationem, eidem gratia libere assentiendo id cooperando disponantur; ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem; neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens; quippe qui potest illam & abjicere; neque tamen sine gratia Dei movere, sed ad justitiam eorum illo libera sua voluntate possit. Unde in sacris Litteris

Litteris cum dicitur Zacharia 1. V. 3. Convertimini ad me, & ego converterar ad vos, libertatis nostra admonemur. Cum respondemus: Convertite nos Domine ad te, & converteremur, Tren. 5. Dei nos gratia praeveneri censemur. Remque plenius dilucidans subjungit cap. 6. Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati Divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse quae divinitus revelata & promissa sunt; atque illud in primis, a Deo justificari impium fore gratiam ejus, per redemptionem, quae est in Christo Jesu. Et dum peccatores se esse intelligentes, a divinae justitiae timore, quo nihil concitantur, ad considerandam misericordiam Dei se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illumque tanquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt: ac properea moventur adversus peccata per odium aliquod ac detestationem, hoc est per eam poenitentiam, quam ante baptismum agi oportet.

En igitur seriem & ordinem, quo peccator ad justificationem secundum sacrosanctum Concilium disponitur. Auspicatur ac praecedit gratia excitans, sequitur actus fidei, timor poenae ex divina justitia, actus spei, initium amoris adhuc imperfecti, odium ac detestatio peccati. Quae tandem omnia perficiuntur per susceptionem justificantis Sacramenti, quod est causa gratiae instrumentalis, efficiens autem Deus ipse, meritoria demum Christus. Causa portio formalis ipsa Dei justitia, non qua ipse justus est, (quod est delirium Lutheri & Calvinii) sed qua nos ille justos facit, ut egregie prosequitur, docet ac definit insequens caput VI.

Ejusdem sessionis cap. XI. sic prosequitur ac decernit: Nemo autem quantumvis justificatus liberum se esse ab observatione mandatorum putare debet: nemo temeraria illa & a Patribus sub anathemate prohibita voce uti audeat: Dei praeprecepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possit, & petere quod non possit, & adjuvat ut possit: Cujus mandata gratia non sunt, cujus jugum suave est & onus leve. Qui enim filii Dei sunt, Christum diligunt; qui autem diligunt eum, ut ipse testatur, servant sermones ejus; quod utique cum illo Divino auxilio prestare possunt.

Desumpta sunt ista ex Augustino, lib. de natura & grat. cap. 35. & ex Concilio Araucano secundo cap. 25. Sequuntur canones circa justificationis fidem, ex quibus hos, qui sequuntur, selegimus.

Can. III. Si quis dixerit, sine praeveniens Spiritus sancti inspiratione, atque adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.

Can. IV. Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac preparat: neque posse dissentire, si velit; sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, nequeque passivo se habere; anathema sit.

Ut intelligatur concordia liberi arbitrii hominis cum gratia Dei effici, aut certissimo DEI concursu, accersende sunt luculentissime Theologorum orthodoxorum distinctiones. Quotiescunque agit humana voluntas, Deus cum illius operatione concurrat, sine quo nihil creatum quidquam agere valet: ille tamen Dei concursus & operatio, prout a Deo est, non potest esse nisi bona, quandoquidem omne ens in sui ratione bonitatem includit, attestante Isaia cap. 26. Omnia opera nostra operatus es nobis. Cui suffragatur Apostolus Philipp. 2. Deus est, qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate. Quomodo autem omnis motio sit a Deo ut a prima causa, optime explicatur a S. Augustino sent. 58. apud Prosperum: Divina (inquit) voluntas est prima & suprema causa: omnium corporum spiritualiumque motionum: nihil enim sit visibiliter & sensibiliter, quod non de invisibili & intelligibili summi Imperatoris aula aut jubeatur aut permittatur. Illa tamen motio, prout in creatura terminatur & recipitur, potest malum operari ex defectu pravae voluntatis in libera creatura: quemadmodum si homo aliquis hominem claudum moveat ad ambulandum, ambulans ille claudicabit, non ex defectu motus, sed ex defectu moti. Sic Deus prima rerum omnium causa suam, cum causis secundis motionem accommodat, ut cum liberis libere, & cum necessariis necessario concurrat, sic tamen ut liberae causae bona operatio in Deum referenda sit, fiatque communis inter Deum moventem, motamque ab eo creatam voluntatem, sed haec ipsa voluntas creata, si perversa sit, Deique

concursum ad malum abutatur, tota malitia in voluntatem creatam referenda sit. Omnis quippe boni Deus fons & origo est, dicente Augustino: Quia omnia bona, & magna, & media, & minima, ex Deo sunt, sequitur, ut ex Deo sit etiam bonus usus liberae voluntatis; lib. 1. retract. cap. 9. Praevienta igitur humana voluntas ad ali-quod bonum, etiam motione gratiae efficacis, cujus propitium hoc est, ut nunquam suo frustretur effectu, pro certo & infallibiliter voluntas sic praevienta gratiae motrici obsecundabit in bonum non necessitate aliqua, sed libertate. Tamen namque opposita simul stare nequeant, cum uno tamen opposito fiat possibilitas ad actum oppositum, ut docent duo scholasticorum Theologorum Principes, S. Thomas q. 6. de malo, ad 16. & Scotus in 4. dist. 49. q. 13. Itaque qui libere scribit, loquitur, ambulat, potest non scribere, non loqui, non ambulare, in sensu diviso, non tamen in sensu composito. Atque ita qui gratiae Dei obtemperans bonum operatur, liber manet ad oppositum, quippe qui potuisset ex innata sibi libertate gratiae moventi resistere, ut hoc loco docet Concilium Tridentinum. Libertas portio (quae proprie non nisi naturae intelligenti convenit) facultas est, quae postis ad agenda requisitis potest agere, (atque haec dicitur libertas contraditionis) vel etiam agere in oppositum, (quae libertas contrarietatis seu specificationis vocari solet.) Idque Franciscus Sylvius eluciddat similitudine corporum, quae mutationi obnoxia sunt, quorum materia etiamvis nequeat in sensu composito plures simul formas suscipere, dum tamen sub una forma fiat determinata, in sensu diviso, capax est diversarum aliarum formas suscipiendi, abjectaque forma viventis, formam potest suscipere cadaveris, aut quamlibet aliam. Nunquam tamen Deus voluntatem creatam ita determinat in unum tanto necessitatis nexu, ut non valeat aliud intendere, aut velle, aut posse. Omnis enim spiritus qui divinitatis clara visione fruatur, non potest a beatifico illo aspectu, vel amoris divini actu vel momento defistere: adeo ut quamvis illi divinae contemplationis, & dilectionis actus sint perfectissime voluntarii, nullatenus tamen liberi, sed necessarii sunt, itaque necessarium & liberum minime associari possunt; sed possunt simul concurrere, insolubilique copula voluntarium, & necessarium cohaerere.

Can. VIII. Si quis dixerit, gehenna metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccato abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere; anathema sit.

Can. XVI. Si quis dixerit, magnum illud perseverantiae donum usque ad finem se certo habiturum absolutam & infallibilem certitudine, nisi hoc ex speciali revelatione dixerit; anathema sit.

Can. XVIII. Si quis dixerit, Dei praeprecepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto, esse impossibilia; anathema sit.

Can. XXII. Si quis dixerit, justificatum vel sine speciali auxilio DEI in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse; anathema sit.

Can. XXXI. Si quis dixerit, justificatum peccare, dum invidiu aeternae mercedis bene operatur; anathema sit.

13. Eiusdem sextae sessionis de reformatione cap. 1. astringit ad residentiam Episcopos; eosque si per sex continuos menses (legitimis cessantibus impedimentis seu justis ac rationabilibus causis) a suis Ecclesiis abfuerint, quarta fructuum unius anni parte, Ecclesiae aut pauperibus loci applicanda, mulctat. Hoc tamen ipsum Concilium postmodum sess. 23. cap. 1. hanc obligationem & poenam adauget: Ut qui ad summum tres menses in uno anno, sine legitima & valde urgente causa, sine continuo, sine interpolato, Episcopus etiam Cardinalis, non residerit in sua diocesi, praeter peccati moralis reatum, quo astringitur, nullatenus possit fructus suos pro rata absentiae sua facere; sed teneatur eos fabricae Ecclesiarum aut pauperibus loci erogare.

14. Eiusdem sessionis VI. cap. 3. hoc statuitur: Regulares Ordinum quantumvis exemptorum aut privilegiatorum extra monasterium degentes, si deliquerint a locorum Ordinariis tanquam Sedis Apostolicae delegatis, vocari, inquiri, corrigi, & puniri debent.

Concilium Lugdunense sub Innocentio quarto allegatum volentes, de privileg. in 6. subijcit Regulares ratione delicti extra claustra commissi jurisdictioni Ordinariorum loci. Praeterea statuitur c. quanto, de offic. Ord. ut Ordinarius suppleat per se Abbatis negligentiam erga vagos & errabundos monachos. Quod idem confirmatur Gallicano jure in Comitiis Aurelianensibus sub Carolo Rege IX. art. IX. Idudque ipsum Tridentinum Concil. sess. 21. cap. 8. sancit: Ut quando exemptorum regula-